

omnibus ibidem expressis esse de jure communi ubique solvendas.

XXIX. In eadem Appendice cap. 3. refertur ejusdem Pontificis rescriptum Wintoniensi Episcopo, in quo inter alia scribit: "Præterea Parochianos vestros de feno equitatis, pomis & pyris & apibus & omni fructu solvere Ecclesiastica districtione, appellatione." Addendum ex veteri Antonii Augustini Decretalium collectione, cessante compellas.

Hoc Rescriptum relatum est in Cap. 6. §. De Decimis; sed mutilatè, ut ex ejus lectione apparebit.

XXX. Interim ex his intelligimus, Pontifices tum temporis respondisse, generaliter decimas solvendas esse, multumque verisimile est, ad responsum Alexandri reflexisse Patres Synodi Londoniensis anno 1175. Can. 13. "Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de fructibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. Sed quia multi modo inveniuntur decimas dare nolentes, statuimus, ut juxta Domini Papæ præcepta admonerentur semel, secundo & tertio, & de grano & de vino, de fructibus arborum, de fatibus animalium, de lana, de agnis, de butyro, de caseo, de lino, & cannabe, & de reliquis quæ annuatim renovantur, decimas integre persolvant: quod si commoniti non emendaverint, anathemati se noverint subiacere.

XXXI. Quin & sub finem ejusdem sæculi Cælestinus III. dixit non tantum de fructibus & frugibus & quæ annuè renascuntur, sed de negotiatione ipsa, etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis decimas ministris Ecclesiæ esse tribuendas, ita ut qui de his ea solvere neglexerint, Ecclesiastica districtione debeant percelli.

XXXII. Quin & innuit & Pontifex hæc ex traditione SS. Patrum debita esse. Nam pro fundamento sui dicti præmittit hæc verba: *Revera sicut Sancti Patres in suis tradiderunt Scripturis.*

XXXIII. Ex integra Decretali quæ extat in secunda Decretalium Collectione apud Antonium Augustinum, non obscurum est, Pontificem reflexisse ad sermonem *De reddendis Decimis*, quem sub nomine S. Augustini citavit Gratianus, ut supra monuimus: eumque revera esse Augustini credidisse.

XXXIV. Quidquid sit, postquam hoc responsum in Decretales Gregorii IX. in Cap. 22. §. De Decimis relatum est, & partem Juris Communis constituit, unanimi Canonistarum consensu conclusum est, de omnibus etiam personalibus lucris, decimas esse solvendas: atque ita decimas personales jure communi deberi receptum fuit.

XXXV. An huic Decretali prima decimarum personalium origo debeatur, eatenus saltem, ut nullum antiquius de his solvendis extet præceptum, nescio. Reperi equidem sub finem sæculi octavi S. Theodulphum Episcopum Aurelianensem in suo Capitulari cap. 3. admonuisse Mercatores, ut non plus terrena lucra quam vitam cupiant sempiternam; ac dein subjungit: "Sicut enim ab his qui labori agrorum & ceteris laboribus, victum atque vestitum, & necessaria usus humanis acquirere hiantes stant, decima, & eleemosynæ danda sunt: ita his quoque qui pro necessitatibus suis negotiis insistant, faciendum est. Unicuique enim homini Deus dedit artem qua pascatur, & ut nusquam de arte sua de qua corporis necessaria subsidia habet, animam quoque, quod magis necessarium est subsidium administrare debet.

Habetur tomo 7. Concilii General. col. 1145. Sed hic potius quædam exhortatio, quam præceptum apparet. Verisimile tamen est, ex his & similibus exhortationibus, consuetudinem solvendi decimas etiam personales fuisse introductam & pro lege invaluisse: qua introducta, Pontifices super solutione decimarum interrogati, etiam conformiter responderunt: quæ responsa in Decretales relata, tandem pro jure communi recepta fuerunt.

XXXVI. Stabilio autem jure decimarum; cum va-

ria super earum exemptione, privilegia essent concessa; nec non diversis titulis decimæ ad alios & quam Parochos essent translatae, plures quæstiones super his oriri ceperunt, quæ occasionem dederunt, decimas novales & minutas; item infundatas ab aliis ordinariis & antiquis decimis distinguendi; uti infra, ubi de his decimis agetur, ostendemus.

## CAPUT II.

### De quibus Decimæ hodie sint solvendæ?

1. Responsa Alexandri III. de solvendis Decimis etiam ex proveniuntibus Molendinorum; item lana, & apibus.
2. Quin & de negotiatione & militia.
3. De jure communi, etiam de omni honesto lucro Decima solvenda.
4. Quid Decima prædiales?
5. Quæ sint prædia rustica, & quæ urbana?
6. Quæ Decima ex consuetudine hodierna dicantur prædiales?
7. Decimæ personales quæ dicantur?
8. Decimæ ex venatione aut aucupio vel piscatione interdum possunt esse prædiales.
9. Quæ sint Decimæ mixtæ?
10. Sanctus Thomas docet, in hac materia consuetudinem attendendam.
11. Idipsum responderunt Pontifices.
12. Juxta Canonistas præcipue consuetudo attendenda.
13. Non sine magnis incommodis à consuetudine in hac materia receditur.
14. Voluerunt Principes consuetudinem servari: Ordinato Philippo Regis Gallia de non exigendis Decimis insolitis.
15. Similis Ordinatio Caroli V. Imper. pro Regnis Hispania.
16. Idem ordinatum ab eodem pro Disionibus Belgicis.
17. In præfatione sui Edicti asserit, Clerum sufficienter dotatum.
18. Conqueritur, quod plures exigant Decimas insolitas.
19. Enumerat species illas insolitas.
20. Non conqueritur de exactione decimarum personalium, quia hæc exoleverunt.
21. Decimæ prædiales & mixtæ vetat exigi ex his rebus, quæ quibus à 40. retro annis exactæ non fuerunt.
22. Quæ sint species, quæ passim & ubique sunt Decimis subjectæ.
23. Varia difficultates occasione hujus Edicti exorta; ad quas sopiendas plura Edicta posteriora emanarunt.
24. Primum Edictum interpretativum.
25. In hoc Edicto declaratur, Decimas ex terris de novo ad culturam redactis esse solvendas, modo fructus soliti fuerint Decimari.
26. Decimæ mixtæ solite solvi debentur ex domibus noviter edificatis.
27. Non tamen de his speciebus, quibus ante 40. annos solutum non fuit Decimas solvi.
28. Utrum Decimæ sint solite vel solite, non fundi, sed fructus inspiciendi.
29. Mens Principis fuit, ut Decimæ solverentur juxta jus commune, ubi contraria consuetudo non est.
30. Primum attendenda consuetudo Parochia in qua Decima præceditur.
31. Si in Parochia de hac consuetudine nihil haberi queat, recurrendum ad loca vicina.
32. Quæstio recenter occasione hujus articuli, & an ligna nova-

novarum silvarum sit species distincta à lignis antiquarum silvarum.

33. Verius videtur esse aliam speciem.
34. Si circa speciem frugis noviter seminata nulla sit consuetudo servandum jus commune.
35. De omnibus frugibus solvenda Decima nisi probetur consuetudo contraria.
36. Consuetudo hæc probanda à prætendente exemptionem à Decimis.
37. Quamvis consuetudo contraria non plenè probatur, Decima solvenda.
38. Requiritur consuetudo positiva.
39. Quia requiritur, ut per consuetudinem censeatur aliqua species facta non decimabilis.

I. Scribit Alexander III. in Cap. 5. §. de Decimis Archiepiscopo Cantuariensi: "Mandamus quatenus Parochianos vestros monere curetis, & si opus fuerit, sub excommunicationis districtione compellere, ut de proveniuntibus molendinorum, piscariarum, feno, & lana, decimas Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate persolvant. Et rursus Wintoniensi Episcopo: "Mandamus quatenus Parochianos vestros de apibus, & de omni fructu decimas persolvere Ecclesiastica districtione compellas." Cap. 6. §. eod.

II. Et in Cap. 22. §. eod. dicit Pontifex: Revera sicut sancti Patres in suis tradiderunt scripturis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione, de omnibus bonis decimæ sunt ministris Ecclesiæ tribuendæ, ita ut qui de his eas solvere neglexerint, Ecclesiastica districtione debeant percelli.

III. Ex his manifestum est, & unanimi consensu tradunt Canonistæ, de jure communi non tantum de fructibus terræ, sed & de pecoribus, quin & de negotiatione & militia, omnique honesto lucro decimas, attento jure Decretalium, solvendas esse.

Hinc ulterius invaluit distinctio decimarum in prædiales, personales, & mixtas.

IV. Prædiales dicuntur ratione prædiorum: quia ex fructibus & proveniuntibus prædiorum solvuntur: idque indifferenter, sive prædia sint rustica, sive urbana, ut loquuntur Juris Consulti.

V. Prædia urbana vocantur ædificia habitandi causa facta, sive in urbe, sive extra urbem L. 198 ff. De V.S. è quo mercede locationis decimæ de jure præstantur Cap. penult. §. de Pactis; quemadmodum & ex molendinorum proveniuntibus Cap. 23. §. de Decimis.

Prædia rustica sunt ædificia habitandi causa non præparata; sed in alium usum; uti sunt stabula, ovilia & similia L. 4. §. 1. In quibus causis pignus &c.

VI. Item rusticorum prædiorum nomine veniunt & agri, vineæ, silvæ, & similia. Et quidem attento hodierno harum aliarumque multarum Provinciarum usu hæc ferè in materia decimarum pro prædiis, ex quibus decimæ solvuntur, & à quibus decimæ prædiales dicuntur, nomine prædiorum veniunt: eò quod passim consuetudine & usu invaluerit, ut ex solis fructibus de terra nascentibus sive naturalibus, non autem de fructibus civilibus, uti est merces elocationis, aut alia annua pensitatio, decimæ solvantur.

VII. Decimæ personales à Canonistis dicuntur, quæ ex rebus, quas quisque sibi industria & opera sua acquirit, persolvuntur; veluti ex lucro honestæ cujuscumque negotiationis, ex stipendio militiæ, ex venatione, piscatione aliave professione vel officio.

VIII. Ubi tamen fructus prædii ex venatione, piscatione aut aucupio constarent, juxta L. 8. §. AUCUPIUM ff. De Usufructu, & L. 26. De Usuris, tunc ex illis perceptæ

decimæ magis prædiales, quam personales dicendæ essent; utpotè ex fructibus terræ tum provenientes, uti passim notant Canonistæ.

IX. Decimæ mixtæ dicuntur, quæ partim personales, partim prædiales sunt: quales sunt, quæ ex fructibus pecorum, ex feno, lana, lacte, ovis aliisque similibus solvuntur.

In quantum enim animalia in prædiis nascuntur & aluntur, eatenus ex iis provenientia, etiam ex ipsis prædiis quodammodo provenire intelliguntur; atque eatenus de decimis prædialibus aliquid communicant. Sed quia animalia illa non proferunt fructus sine cura ac industria hominum, propterea etiam de decimis personalibus aliquid participant; ideoque mixtæ dicuntur.

Hanc tripartitam decimarum divisionem anno 1404. expressit Synodus Lingoniensis apud Botchellum in Decretis Ecclesiæ Gallicanæ: supponitque omnes illas decimas jure deberi.

X. Sanctus Thomas 2. 2. q. 87. art. 2. quærens, utrum de omnibus teneantur homines decimas dare, resolvit juxta jus commune tum receptum, de omnibus possessis decimas esse solvendas. Et licet in veteri lege non solverentur decimæ personales, in nova tamen lege rectè populum cogi ad solvendas decimas personales asserit, secundum (ait) CONSUETUDINEM PATRIÆ & INDIGENTIAM MINISTRORUM. Et in Responso ad 3. ait, de rebus minutis decimas non deberi, nisi forte propter consuetudinem Patriæ.

Hæc aliaque quæ ibidem habet idem Doctor clarè supponunt, ipsum existimasse, etiam ex consuetudine judicandum esse, quæ decimæ, & de quibus rebus solvi debeant.

XI. Et revera in hac decimarum materia varias locorum consuetudines esse servandas sæpius responderunt Pontifices, quorum Responsum in Decretales Gregorii IX. relata partem juris communis constituunt; ac signanter Lucius III. in Cap. 20. §. De Decimis scribit Strigoniensi Archiepiscopo: "Quoniam à diversis diversæ consuetudo tenetur, tu eligas in hoc casu, quo per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum."

Et Concilium Lateranense sub Innocentio III. in Cap. 32. §. eod. ait: Illæ decimæ necessario solvendæ sunt, quæ debentur ex lege divina, vel loci consuetudine approbata.

XII. Ex his concludunt Canonistæ, consuetudinem in solutione decimarum esse præcipue attendendam; & non nisi hac deficiente ad jus commune esse recurrendum; sive de quota, sive de qualitate decimarum aut modo solutionis agatur.

XIII. Hoc si accuratè servetur, plures difficultates evitantur, & minus odiosa reddetur decimarum exactio; dum facile quod solitum est, à populo obtinetur: ad insolita vero agrè sæpe, & non nisi contentionibus magnis & nocivis induci se patitur.

Refert Hemboldus Presbyter in Chronico Sclavorum lib. 1. cap. 31. Geroldo Lubecensi Episcopo, decimas tamquam à Deo & Apostolis donatas exigenti in terra Wagiensi responderunt Holfau; "Numquam se daturos decimas, quas Patres sui non dedissent, malle se potius succentibus, sis ædibus propriis egredi terram, quam tantæ servitutis jugum subire."

XIV. Ut igitur in exactioe decimarum, omnia pacificè agerentur, voluerunt & ipsi Principes; ut & populus integre & sine fraude decimas solveret; & ipse Clerus ab insolitis abstineret.

Famosa est hæc in rem ordinatio Philippi IV. Regis Gallia edita anno 1303. vocaturque vulgò Philippina quæ dicit: "Senescallus defendat singulos à nova exactioe decimarum & primitiarum, & presentationis; sed prout de jure fuerit, & hæcenus est consuetum fieri."

XV. Non absimilis est ordinatio Caroli V. Imperatoris & Regis Hispaniarum, ac Belgiarum Principis; qua vetuit decimas à laicis exigi, quæ per consuetudinem contrariam non



non consueverunt solvi, uti refert Covarruvias *Lib. 1. Variar. resolut. cap. 17. num. 8.* dicitur quia ab eodem Casare cautum esse Toleti anno 1525. Rursus anno 1528. Madricii; ac dein Segobiae anno 1532.

XVI. Idiplum jam ante pro Belgicis Provinciis ipse Carolus sanxerat, evulgato Edicto primum Mechliniae prima Octobris 1520. quod idiomate Gallico extat parte I. Edictorum Flandriae *Rubrica 12. cap. 1.* ac dein idem Edictum probatum & publicatum fuit in Brabantia 6. Novembris ejusdem anni; extatque idiomate flandrico parte I. Edictorum Brabantiae *lib. 1. tit. 5. cap. 2.* atque hodie in Belgio pro lege fundamentalis in materia decimarum passim assumitur.

XVII. Primum in hoc Edicto praefatur Principes, ab antiquo hic semper observatum, ut decimae exigentur & solverentur juxta locorum & regionum conditionem seu consuetudinem; ac praeterea Clerum a suis Praedecessoribus ita abunde fuisse dotatum, ut merito ab imponendis & exigendis novis tallis & exactionibus cum ipsius Principis ejusque subditorum praedictio, abstinere debeat.

XVIII. Dein asserit, quod his non obstantibus, Capitula, Curataeque Ecclesiasticae personae non contentae solitis decimis & bonis in fundatione donatis, aliisque quae eorum Praedecessores accipere & exigere consueverunt, incipiant, & quotidie progrediantur petere & exigere varias novas decimas multiformis generis fructuum.

XIX. Post haec enumerat decimarum species, quas novitatis in simulare videtur, scilicet, lignorum, foeni, herbarum, pascuorum, pinguium cornutarum bestiarum, ovium, agnorum, lanarum, porcorum, vitulorum, anserum & similiarum. Adhaec, raparum, raphanorum, acetariorum, ceparum, pomorum, pyrorum, nucum & similiarum frugum.

Addit, nonnullos Ecclesiasticos praetendere, sibi competere jus decimarum super omnibus rebus & fructibus, crescentibus & provenientibus ex terra.

XX. Nulla de decimis personalibus mentio, aut quae relata in Edicto occurrit. Indicium quod nec tunc in usu fuerint, nec Ecclesiastici jus suum ad illas extendere praetenderint: quas & hodie in Belgio, Gallia aliisque pluribus in locis omnino incognitas esse, ex praxi notorium est; & passim auctores testantur; notatumque est supra *tit. 1. cap. 3. numer. 9.* sat verisimile esse, jura funeralia aliaque similia in locum decimarum personalium, aliquibus saltem in locis, successisse.

XXI. Circa decimas praediales & mixtas, vetat Edictum, a subditis exigere decimas eorum fructuum de quibus 40. retro annis nullae decimae exactae aut solutae essent.

XXII. Sunt quaedam species frugum, de quibus passim ubique decimae solvuntur; ut sunt frumentum, siligo, hordeum & avena; & quae his proximè accedunt: eo quod in cibum potumque cerevisiarum necessariae sint, uti notat Zypaeus *Consult. 3. de Decimis num. 7.* ex iis autem speciebus, quas Edictum exprimit, non ita communiter decimae solvuntur; sed varia est circa has locorum consuetudo; cujus limites transgredi, cum laicorum praedictio, vetat Edictum.

XXIII. Varias dein quaestiones & contentiones laicos inter & Ecclesiasticos, occasione hujus novi Edicti oriri & moveri coeperunt: quibus sopiendis plura Edicta interpretativa prioris Edicti sequuta sunt: quae non minus quam ipsum primum Edictum, hodie in decisione quaestionum in hac materia occurrentium pro lege habentur.

XXIV. Prima eaque praecipua Edicti interpretatio data fuit 10. Januarii 1528. ad supplicationem Cleri Dioecesis Leodiensis sub Ducatu Brabantiae & Comitatu Namurcensis; & inserta parti primae Edictorum Brabantiae *lib. 1. tit. 5. c. 4.* ac rursum renovata fuit 15. Septembris 1530. ad supplicationem Cleri Comitatus Flandriae; referturque parte I. Edictorum Flandriae *lib. 2. Rubrica 12.*

XXV. Primum hoc Edicto interpretativo sive declaratorio dictum fuit, per primum Edictum non esse prohibitum

solvi, colligi & levari jura decimarum de grano, foenis, & fructibus excretis & defructuatis in terris, praeterea, aut hereditatibus noviter ad culturam redactis, unde in parochiis, ubi sunt excreti, collecti & defructuati consuetum fuit 40. annis antea solvi, colligi & levari jura decimarum de talibus & similibus granis, foenis, & fructibus.

XXVI. Ulterius declarat, quod non intenderit, prohibitum fuisse, nec prohibere solvi jura decimarum, ex agnellis, lanarum, pullis, volatilibus, & aliis bestiis nutritis, & educatis in domibus & hereditatibus, quae noviter fuissent reaedificatae & posita in usum habitacionis & receptionis. Quinimo quod inde fiat solutio decimarum, provisio quod de similibus speciebus ab antea 40. annis solvi soleret decima in Parochiis, in quibus dictae domus & aedificia ac hereditates essent situate & jacentes.

XXVII. Ne autem Clerus praetextu hujus interpretationis insolitas decimas exigeret, addit: "Sed non intendimus quod possint exigere, capi, aut levare jura decimarum de grano, ligno, foeno fructibus, pullis, agnellis, lanarum, bestiis, & aliis rebus, de quibus non fuisset a tempore dictorum 40. annorum consuetum solvi aliqua jura decimarum in Parochiis, aut locis in quibus excrevisent, aut nutritae fuissent, non habito respectu à quo tempore citra, dictae domus fuissent aedificatae, inhabitatae aut dictae hereditates ad culturam redactae.

XXVIII. Post & generaliter declarat, "quod in solutione decimarum decimarum non habebitur respectus, in quibus terris dicta grana, foenum, fructus, & nemora colligantur, aut crescant, nec in quibus aedificiis aut pascuibus dictae bestiae essent natae & nutritae, & dicti pulli, & volatilia educati. Sed solummodo si in dicta Parochia, aut loco ubi consuetum fuit levare, & exigere, jura decimarum dictarum specierum.

Ex his manifestum est, quod conformiter ad jus commune non fundi aut terrae inspicere debeant, dum quaeritur, an decimae sint insolitae; sed ipsa fructuum species, quae in fundo excrevit: utrum nimirum haec decimarum solve-re solita sit.

XXIX. Non obscurum quoque est, Principem primo suo Edicto hoc unum cavere voluisse, ut decimae juxta jus commune solverentur, in quantum consuetudo locorum non contrariatur: sed ubi consuetudo loci aliter obtinet, nihil novi praetextu juris communis induceretur.

Huc consonat, quod declarat in eodem Edicto interpretativo: "Quod si in aliquo villagio dictorum Ducatus & Comitatus sub Dioecesi Leodiensi pro futuro tempore esset seminata, plantata, collecta aut nutrita aliqua nova species, quae in dicto villagio, numquam fuisset seminata, plantata, collecta, educata aut nutrita, quod eo casu, quantum ad solutionem decimarum hujusmodi novae speciei, observabitur prout in aliis villagiis dictorum Ducatus & Comitatus, ubi fuissent seminatae, plantatae, aut nutritae similes species.

XXX. Itaque ad judicandum de frugibus, num solitae sint decimasolvere, primo loco attendi debet consuetudo villagii seu Parochiae intra cujus limites haec fruges seminantur: utrum scilicet consuetum sit eo in loco ex hujusmodi frugibus vel fructibus decimas solvi.

XXXI. Cum vero de consuetudine hac nihil statui queat, si similes frugum species ante hac ibidem seminatae non sit, vult eo casu Princeps recurri ad loca vicina, ut si iis in locis haec frugum species solita sit seminari, quoad decimarum solutionem consuetudo illorum locorum servetur in illo villagio, in quo jam primum seminari cepit.

XXXII. Nuper incidit quaestio cujus decisio ex intellectu hujus articuli dependebat.

In quodam pago vicino Lovanio, quidam terram aliquam arabilem, & de qua dudum fructus decimabiles percepti fuerant, redegerat in silvam. Praetendebat Parochus

Deci-

Decimas ligni excrecentis in hac noviter plantata silva: eo quod in locis vicinis ex novis silvis decimae solverentur.

Contrario negabat Dominus silvae, decimas deberi: quia licet essent in eodem villagio multae silvae, nullae tamen lignorum decimae unquam essent solutae: adeoque praetendebat, non esse recurrendum ad consuetudinem vicinorum locorum: sed servandam consuetudinem hujus loci.

Replicabat Parochus, esse quidem multas silvas in suo villagio; sed tantum antiquas vulgo *Aude stockboschen*, nullam vero esse, aut ab hominum memoria fuisse novam silvam: ideoque recurrendum ad consuetudinem vicinorum locorum in quibus similes silvae reperiuntur.

Reponebat Dominus silvae, sive sint antiquae, sive novae silvae, fructus earum, scilicet ligna censeri eandem speciem fructuum: atque ita satis esse, quod in ipso villagio excreverent ligna silvarum, atque ex illis decimae numquam fuissent solutae.

XXXIII. Cum super hac quaestione iudicium meum postularetur, judicavi, verisimilius esse jus Parochiae; atque ligna novarum silvarum esse speciem diversam, quoad praesentem materiam & mentem Edicti, à lignis antiquarum silvarum.

Certum enim est, multis in locis Belgii solvi decimas ligni excreti in novis silvis; nullibi vero, aut paucissimis saltem in locis, eas solvi ex silvis antiquis. Iudicium haud obscurum, in hac materia decimarum, eas lignorum & silvarum species omnino distingui: uti & distinguuntur quoad onera Regiae; quibus novae, non autem antiquae silvae solent esse subiectae.

Unde & plures periti & famosi Advocati in proposita quaestione, sine ulla hesitatione & ambiguitate responderunt, ligna novarum silvarum habenda pro specie distincta à lignis veterum silvarum: & proinde in petitione decimarum in casu proposito Parochum fuisse fundatum.

XXXIV. Pergit ulterius in sua declaratione Princeps: "Et si aliqua nova species antea non visa, nec consueta seminari, aut nutriti in aliquo villagio, aut quarterio dictorum Ducatus, & Comitatus, sub Dioecesi praetacta, esset ibidem seminata, plantata aut nutrita, observabitur quantum ad solutionem decimarum dictae novae speciei jus scriptum & illius dispositio.

XXXV. Hinc rursum perquam manifestum est, Principem non intendisse juri communi, circa solutionem decimarum derogare, nisi in quantum consuetudo locorum derogavit, quam observatam voluit.

Igitur cum omnium frugum decima jure debeatur; etiam de blado & universo legumine *cap. 3. De Decimis*; consequens est, ex mente Principis, de omnibus frugibus solvendis esse decimas, nisi contraria consuetudine, ut minus 40. annorum, inductum esse probetur, ex similibus frugibus decimas solvi.

XXXVI. Hinc concludendum est, Parochum aliumve Decimatorem fundatum esse in petendis decimis quarumcumque frugum, quousque probetur consuetudo 40. annorum quoad hanc frugum speciem juri communi derogasse: quam probationem facere tenetur, qui vi hujusmodi consuetudinis decimas negat, uti rectè refert Zypaeus *Consult. 4. De Decimis*; ubi una latè deducit, quae ad probationem hujus consuetudinis requirantur; & quae forma haec probatio sit facienda.

XXXVII. Concluditur praeterea, quod juri communi standum sit, quamdiu plene contraria consuetudo probata non est. Unde si casus occurrat, ut juxta Edictum deberet recurri ad consuetudinem vicinorum locorum, inveniaturque iis in locis consuetudo non uniformis, sed dubia & varia, tunc juxta ante dicta, standum erit juri communi; sive praeferenda consuetudo solvendi decimas, tamquam juri magis consona, quemadmodum notat Zypaeus *Consult. 3. De Decimis n. 1. & 2.*

XXXVIII. Hoc Edictum interpretativum sufficienter

declarat, nullatenus sufficere merè negativam non solutionem decimarum ex certis frugibus, tamen si etiam 40. annorum spatio & amplius continuatam; qualis non solutio esse potest in loco ubi nullae unquam hujusmodi fruges seminatae fuerunt: sed requiri consuetudinem positivam non solvendi decimas ex frugibus ibidem seminatis; eam quae stabilitam actibus positivis, quales sunt electiones & collectiones publicae hujusmodi frugum nullis unquam solutis, aut juridicè praetensis decimis; de quibus publicis actibus praesumitur tacitus consensus Parochorum & Clericorum, quod ex hujusmodi frugibus decimae nec solvi debeant, nec praetendi possint.

XXXIX. Hinc ulterius statuendum, quod si quidem certa species frugum in aliquo loco seminata fuerit; sed in tam exigua quantitate, aut in eum usum consumenda, ut operae pretium non videretur ex iis decimas praetendere; quin & decimarum exactio notam aliquam avaritiae & inhumilitatis praefereat: eo casu non solutio decimarum ex similibus frugibus, nequaquam consuetudinem, de qua in Edicto, inducere possit. Licet enim fruges illae in eo loco seminatae fuerint; tamen seminatae non sunt eo modo, quo seminantur fructus aliis decimabiles. Quapropter si successu temporis fruges illae in magna quantitate, & ad eum usum in quem passim fruges decimabiles insuntur, incipiant seminari, praetendi nequaquam poterit obtinere consuetudinem 40. annorum non solvendi decimas ex hujusmodi frugibus: sed de illis judicandum erit, quasi numquam fruges illae in loco illo seminatae fuissent: quia seminatae non fuerunt in ea quantitate ut honestè decimari possent: ideoque recurrendum erit, vel ad consuetudinem vicinorum locorum, vel ad jus commune, juxta regulas per Edictum praescriptas, uti latè ostendit Zypaeus citata *Consult. 4. De Decimis* adducto exemplo de panico.

### CAPUT III.

#### De Jure Parochorum ad decimas, & cui Parochiae debeantur.

1. Ad decimas ut quaedam oblationes Sacerdantibus offerendas primitivus populus excitatus.
2. Ex intentione populi decima Parochiae cedunt.
3. Primitivi Canonis jus illud Parochiae vindicantes.
4. Illustre eam in rem testimonium Amulonis Archiepiscopi Lugdunensis.
5. Etiam Episcopi & Abbates cogebantur decimas suarum terrarum dare Ecclesiis Parochialibus.
6. Veterum Senioribus Parochiae aliquid de decimis accipere.
7. Decimas de jure ad Parochos spectare suppone-runt Pontifices.
8. Responsa Innocentii III. in Decretales relata hoc jus Parochorum exprimentia.
9. Uniformis Canonistarum sententia, decimas de jure ad Parochum spectare.
10. Hodie etiam excluso Episcopo.
11. Dubitatum an in Parochia ubi recipit Sacramenta, an in Parochia ubi terra sunt sita sint decimae solvenda.
12. Ex sententia Glossa personales solvenda ubi Sacramenta recipiuntur: praediales ubi praedia sita sunt.
13. Haec distinctio communiter recepta.
14. Cui Parochia debeantur decima mixta ex Decreto Synodi Wigorniensis.
15. Decima animalium debentur Parochiae in qua pas-cuntur, & quare?
16. Si pascantur in duabus Parochiis cui debeantur?
17. Multum in hoc consuetudini tribuitur.
18. Decima adjudicanda Parochae quamvis non probam-tur ad alium spectare.